

ut fiat verbis s. factis expressis, iisq; vel evidenter conclu-
dentibus, qualia sunt pacta, transactiones &c. vel indi-
rectis, uti est contumacia, qvo etiam refero taciturnita-
tem, fugam &c. c. 2. de confess. in 6. Nimirum, verba de-
bent esse directò concepta, minimè verò ambigua, arg. l. 12.
§. 7. de interr. in jur. Wesenb. b. t. n. 5. Unde concluditur,
optimè in foro nostro conceptam esse formulam assertio-
nis hoc modo: *Sagt wahr seyn.* Excipiunt tamen casum,
qvo piæ causæ respectus habetur, ut tunc qvibuscunq; ver-
bis enunciativis confessio facta valeat. *Traqv. de privil. piar.*
caus. privil. 86. item in favore dotis idem obtinere dicunt
Dd. idq; per l. 3. C. de dot. promiss. *Mascard. d. l. n. 4. Gill-*
haus. arb. judic. c. 6. p. 1. §. 126. Páciscendo qq. sibi præ-
judicari posse, disertè tradit l. 5. ff. de bis qvi not. infam.
Contumacia qvoq; veluti, si qvis positionibus respondere
nolit, huc referri poterit, per c. 2. de confess. in 6. qvò etiam
adduci poterit clausula in citationibus usitatissima: *Ut nisi*
intra certum tempus appareat Reus, pro Convicto &
confesso teneatur. Parili modo judicatur de taciturnita-
te malitiosa, qvam qvoq; præjudicare tradit l. 1. §. 3. ff. de
tribut. act. Si qvis enim in jure animo pertinaci taceat,
neq; ad interrogata respondere velit, aut qvod perinde est
obscure nec περὶ ἐπίσημον respondeat, qvin sibi præjudicet,
nullus dubito, motus l. de astate. II. §. qui tacuit. 4. §. 8. ff. de
interrogat. in jur. fac. vid. *Wesenb. w. b. l. n. 5. Jas. in l. 6. de*
testib. &c.

§. XXXVI.

Placet ultimò reqvisita à Veteribus versibus qvibus-
dam comprehensa huc apponere:



Major,